



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

XXVIII. Quid possit paroch[us] in dispensatione circa dies festos, aut
ieiunia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

NVM: XXVIII.

*De facultate dispensandi in nonnullis Ec-
clesia preceptis.*

REducitur hæc potestas ad potesta-
tem clauium : quare huc etiam
pertinet. Duo, aut tria sunt eius-
modi, circa quæ quibusdam ex iustis
causis aliquid potes, non tantum cum
causa euidentis est, declarando, & inter-
pretando legem non obligare; sed et-
iam cum nonnihil dubia, in iis dispen-
sando certis casibus; vt laborandi die
festo, diebus abstinentiæ comeden-
di cibos alioquin vetitos, sumendi duas
refectiones in die ieiunii; qui casus
frequentes sunt, ideoque etsi dispen-
sandi facultas resideat præcipue in E-
piscopo, aut eius Vicario; si tamen
res vrgeat, vt adiri, aut consuli non
possit, ne animæ illaqueentur, cense-
tur ea potestas tibi communicari pro
casu saltem vrgente, modò causæ ra-
tionabiles subsint, vt necessitas, aut

G4

ingens

ingens utilitas communis plurium, vel priuata alicuius, ad laborandum in agris pro messe vel vindemiâ, cum res postulat, aut cum repente fit illuuius aquarum, aut cum hostis imminet, Pro usu autem carnium diebus prohibitis idem potes, si Episcopi auctoritas exspectari non possit; iudicium tamen Doctoris medici, aut morborum periti exquiri prius debet, quam dispenses: nam quibusdam morbis carnes nocent, aut parum prosunt: si medicus absit, rationem in consilium voca, & age, quod suadet, neque sis in hoc genere durior.

Quoad duas refectioes in die ieiunii faciendas ex cibis quadragesimalibus, modò aliqua causa subsit laboris corporis, aut morbi, idem potes longè faciliùs, cum id non sit tantis, imò etiam si in loco præsens sit Episcopus, aut Vicarius, consuetudo, & usus alicubi id Parochis concessit.

Mulctam verò pecuniariam pro
tuis

tuis eiusmodi dispensationibus ne imponas in tuum lucrum; sordidum hoc est: faciliùs ferrem, si in aliquod opus pium sumptus moderatos pro personæ, & rei conditione iniungas, nec tamen recipies ad manum; sed alteri viro bono committes, ne in suspensionem avaritiæ venias. Quanquam author essem potiùs, si quid in locis, præsertim vbi ea præcepta minùs seruantur, exigendum sit pro præcepto opere, preces aliquas, aut pia opera alia, quàm pecuniam exigas, vt libertati saltem frœnum aliquod iniiciatur.

C A P V T IV.

Institutiones & industriæ circa Sacrificium, & Sacramentum Eucharistiæ.

S E C T I O I.

Circa Sacrificium.

N V M: I.

De obligatione ad Sacrificandum.

G 5**Sic**